



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LXII. Bethartingense Monasterium, vulgò Beyrharting, in Bauaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

ita scriptum: *Altemannus ex Comitibus Bavaria*
fundator monasterij Suben, Diœcesis Pataviensis
Episcopus 67. sed Auentino plus crediderim,
 qui sine dubio vetera monumenta illius mo-
 nasterij vidit.

CAPVT LXII.

BETR HARTINGENSE MONASTE-
rium, vulgò Beyrharting, in
Bavaria.

Monasterium istud superioris Vinde-
 licæ fundarunt Iudith, secundum A-
 uentinum, & frater eius *Mëgingolzus* soda-
 libus Augustinianis: consecratum est à Ro-
 mano Episcopo Gurcensi, iussu Conradi Ar-
 chiepiscopi Salisburgensis circa annum 1130. 1130.
 Nam Henricus Episcopus Frisingensis rebus
 imperij studebat; Conradus autem auctori-
 tatem Pont. Max. sequebatur. Liber manu-
 scriptus de foundationibus Monasteriorum
 Bauariæ, refert, nobilem quamdam matro-
 nam nomine *Iudith*, in suo fundo propè vil-
 lam *Hartingen*, cœnobium in honorem San-
 cti Ioannis Baptistæ exstruxisse, & istud pri-
 mò virginibus sacris dicasse; postea verò
 auctoritate Apostolica ordinem mutasse,
 substitutis in locum monialium Augustinia-
 nis monachis; sacras autem Virgines in mo-
 nasterium *Altenhochenavv* migrasse. Ipsam
 L adhæc

adhæc fundatricem in cœnobio suo liberaliter à se dotato sepultam esse, & reliquisse septem filias, à quibus septem familiæ ministerialium eiusdem monasterij ortæ sunt, quarum tamen nomina ibidem non existant. Item hoc cœnobium per Rudolphum & Ludouicum, post Imperatorem, Bauarię Duces, & præsertim per Stephanum iuniorem Ducē, maximis priuilegijs confirmatum esse.

CAPVT LXIII.

SCHAMHAPTENSE MONASTERIUM
Germania.

Monasterium *Schambapt*, ad fontes *M*riui dicti *Schambach*, supra vicum *Altmanstain*, nobilis matrona *Gertrudis*, vidua *Berchtoldi*, cum filia *Luitgarda*, instituit collegium pro Canonicis regularibus S. ^{1130.} Augustini, circa annum Domini 1130. Confirmavit Henricus Episcopus Ratisbonensis, ampliusque dotauit. Qua de re extat ipsius diploma datum eodem anno. *Berchtoldi* mariti quondam fundatricis meminit *Ioannes Auentinus* lib. 6.

CAPVT LXIV.

VVEIARNENSE MONASTERIUM,
Germanicè VVeiaru, in Bauaria.

^{1133.} **F**undatum est hoc monasterium an. 1133, per *Sibothonem*, Comitem de *Falckenstain*